



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

53. De communicantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

nem infra xxv. annos ætatis, ei non obfit Concilium quod de ipso numero annorum constitutum est.

Non liceat mulieri sanctum velum acceptum dimittere.

LII. Qualicumque modo mulier, permit-
tente canonicè viro suo, aut eo defuncto, ve-
lum sanctum acceperit in caput, aut sponte
aut invitè, in eo permaneat omnino, nec di-
mittat.

Lib. 5. Capi-
tular. c. 113.

De communicantibus.

LIII. *Quicumque manducaverit panem vel
biberit calicem Domini indignè, vel immodera-
tè, vel inordinatè, reus erit corporis & sangui-
nis Domini.*] *Reus*, id est, dignus ut damne-
tur ab ipso sacrificio, qui tantum mysterium
ut vile despexerit. Scriptum est: *Omnis mun-
dus manducabit ea. Anima que peccaverit, ut
immunda exterminabitur de populo suo.*] *In-
dignè*; ut Dominus ait: *Si ante altare steteris,
& ibi recordatus fueris &c.* Priùs perscrutanda
est conscientia, si in nullo nos reprehendit; &
post offerre aut communicare debemus. Qui-
dam dicunt: Dominus non indignum, sed in-
dignè accipientem, revocat à sancto. *Sed si
dignus indignè accedens retrahitur, quanto
magis qui non potest accipere dignè.* Unde
oportet cessare à vitiis, ut sanctum Domini
corpus sanctè percipias. *Probet autem*, id est,
quærat an dignus sit. Qui enim manducat, du-
pliciter reus effectus est, præsumptionis scili-
cet & peccati. *Non dijudicans*, id est, non

E e iij

Apud Rhaban. in fine libri primi de ministris Ecclesiar.

discernens à ceteris cibis. Ergo cum tanta sit plaga peccati atque impetus morbi ut medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere corpus & sanguinem Domini, si quis eo tempore accipiat quo debet agere pœnitentiam. Sancti namque ac religiosi & Deo acceptabiles antistites cum sub tectum Dei intrant, ibidem Dominus per eos ingreditur, tanquam Deum suscipiant. Et quando pane vitæ & poculo frueris, quando manducas corpus & bibis sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Ubi verò indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur illi accipienti.

Cum sacerdos moritur, quid de rebus ejus observetur. *Ex Concilio Ilerdensi.*

Concil. Ilerd.
c. 16.

LIV. Licet de re hujuscemodi, quam constituere salubri ordinatione decernimus, prisca auctoritas canonum nequaquam siluerit, sed evidenti sanctione præceperit ut cujuscunque Ecclesie Pontifice defuncto, non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem, quas obiens dereliquit, quisquis irruat, domumque subvertat, sed sacerdos qui exequiarum tempore adest, omnia quæ ad utilitatem & conservationem pertinent, debet diligenti circumspectione munire; tamen quia hæc ipsa sanctio, quod pejus est, à multis Clericis cognoscitur violari, ita ut occumbente sacerdote, * expectato affectu, totaque

* expectorato